turae noſtrae imbecillitatem) ſed tamen aliqua inſidiante re, priore iam dimiſſa cogitatione, vltra tentantem procedere, aliae et aliae ex obliquo inuadunt difficultates, prope vt nulli poſt veteres nouae coniectationi relictus locus eſſe videatur. Idque adeo vere dixit, vt nec ea, quae ipſe protulit, omnem difficultatem tollere, nec ſcrupulum omnem eximere videantur. Nihilominus tamen & nos noſtra faciamus, quae addit vir doctus, *Tentandum eſt tamen*, inquiens, *nec praeſumta deſperatio veri inueniendi, negligentiam nobis perſuadere, aut amplius quaerendi occaſionem amputare, debet.* Agedum & nos tentemus, ſcrutari veram horum locorum iuris noſtri interpretationem, quam ſi inuenire non contingit, indagaſſe pro viribus noſtris, ſufficiat. Quid enim vituperii erit, poſt tot tantorumque nominum viros erraſſe? Contra vero, ſi in magnis voluiſſe ſat eſt, & nobis ſufficiat, ſi quae ſpeciminis cauſſa propoſituri ſumus, quamuis non omnino placeant, tantum non plane diſpliceant viris doctis & harum rerum intelligentibus. Legentibus autem nobis ſummorum virorum varias multasque opiniones de conciliandis his locis, penſitantibus difficultates, quibus ſingulae illae non premi, ſed opprimi videntur, in mentem venit, quaerere: Annon forte mirae illae difficultates earumque ratio in eo quaerendae ſint, quod contraria ſint & pugnantia loca, quae ad conſenſum reducere doctores tanta opera, ſed incaſſum, tentarunt. Quodſi verum eſt, abſtinendum erit caſto iuris interpreti ab omni conciliationis ſtudio, & acquieſcendum in eo,